



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Casvvm Conscientiae De Sacramentis

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

De Extrema Vnctione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40295

Quaritur XXXIV. quibus bonis Lutherana Excommunicatio priuet. Respondeo, hoc nobis explicari à Luthero in Serm. de Excommunicatione Tom. I. Lat. Witeb. Excommunicatio est *privatio communionis externa*, inquit Lutherus, scilicet *Sacramentorum, funeris, sepultura, publica orationis, deinde aliarum corporalis necessitatis rerum & conuersationis*. Excluditur ergo talis excommunicatus à cœna, & ne in baptismi administratione officio *Patrini* fungi possit. Concionis tamen audiendæ benignam copiam faciunt Lutherus & Calvinus, ille in Colloquiis; hic in Epistolis suis.

DE EXTREMA VNCTIONE.

VÆRITUR I. An extrema vnctio sit Sacramentum. Respondet Lutherus in capt. *Babylonica*. *Mihi verò neganda sunt principio septem Sacramenta, & tantum tria pro tempore ponenda; Baptismus Pœnitentia, Panis*. Cur non vinum quoq; adiecit, vt hoc additamento quatuor Sacramenta acquireret? Si ergo tria hæc duntaxat in Sacramentis numeranda sunt; necesse est, vt ex Sacramentorum Catalogo extrema vnctio expungatur.

Antipharmacum.

Hoc vnctionis extrema Sacramentum non damno, inquit Lutherus captiuit. *Babyl. cap. de extrema vnctione*. Et in *cap. de Confirmatione*: *Non hæc dico; quod damnem Sacramenta septem*. Ergo nec extremam vnctionem damnas; quia & hæc septenario illo numero comprehenditur. Quid igitur damnas aut negas? *Quod septenarius iste numerus ex scripturis probari possit*. Scilicet, ideo non potest.

quia

quia tu non poſſe perſuaſum habes. Si alia ſententia animo tuo ſederet, iam nihil dilucidius eſſet; quàm ſeprenarium Sacramentorum numerum ex ſacris literis demonſtrari poſſe.

Quæritur II. quis ſit effectus extremæ unctiõnis. Reſpondet Lutherus loc. cit. *Non negamus per extremam unctiõnem dari remiſſionem & pacem.*

Quæritur III. Quid dicendum; ſi quem Miniſter ioco inungeret, inunctus autem rem ſeriò agi crederet? Reſpondet Lutherus loc. cit. *unctiõnis effectum equè dari inuncto, ac ſi Miniſter ſeriò rem gereret. Fides enim ſuſcipientis non errat, quantumlibet Miniſter erret: Si enim ioco baptizans aut abſoluens, hoc eſt, non abſoluens (quantum ad miniſtrum pertinet) reuera abſoluit & baptizat, ſi credat baptizatus & abſoluendus, quanto magis ungens extrema unctiõne pacificat, etiam ſi reuera non pacificet, ſi miniſterium ſpectes, cum nullum ſit ibi Sacramentum? Fides enim unctiõis etiam hoc accipit, quod conferens aut non potuit, aut non voluit dare, Sufficit enim unctõ verbum audire & credere: quidquid enim credimus nos accepturos eſſe id reuera accipimus, quidquid agat, non agat, ſimulet, aut iocetur Miniſter.*


Antipharmacum.

Ex hac Lutheri doctrina (ſi delirium doctrinæ nomẽ meretur) admiranda conſectaria ſequuntur. Primò, verè & validè baptizari eum, qui ioco vel per ludibriũ aqua perfunditur, aut in fontem aut flumen detruditur; ſi ipſe credat ſe baptizari: cum baptiſmus & effectus eius non pendeat à Miniſtro, ſed à ſuſcipientis fide.

II. Sequitur, ſi quis caupo, imò & cauponis vxor, alicui panem & vinum per iocum, tanquam cœnam, apponat, alter autem cum fide panem & vinum, tanquam

quam cœnam Dominicam, absumat; eum corpus & sanguinem Christi verè manducasse & bibisse; cum hic attendendum non sit, quid Minister agat aut simulet, sed quid cœnans se accipere credat; omne autem illud verè accipiat quod se accepturum credit. *Stat enim Christi sententia; inquit Lutherus, credenti omnia possibilia sunt.* Imò, si Lutheri vestigia pressius premere velis, ipse tibi metipsi baptismum, cœnam & absolutionem conferre & administrare poteris, dummodo credas te accepturum, quod per baptismum, per cœnam & absolutionem dari solet.

III. Sequitur Lutherum à sua itidem Borra, etiam iocante, absolui potuisse: dummodo se absolui vel absolutum crederet. Et cur non credidisset? cum scriptum sit, *ut ipse Lutherus citat, fiat tibi sicut credidisti.*



DE SACRAMENTO

ORDINIS.



QVÆRITVR I. Vtrum Ordo sit Sacramentum apud Lutherum & Lutheranos. Respondeo, aliquando esse; aliquando non esse, prout Spiritus spirat, ut patet ex Quæstionibus de Sacramentis in genere.

Quæritur II. Quis Prædicantes ordinet. Respondetur; inordinati Prædicantes.

Quæritur III. Quis primus fuerit, quem Lutherus ordinavit. Respondetur, fuisse M. Georgium Rorarium, Anno 1525. ut habetur Tom. 2. Nouorum operum Lutheri fol. 275.

Quæri-